

Letter 525b: 22 December 1533, Wismar, Sidracq Hennebert to [Capito and the Strasbourg Preachers]

The autograph original is in Strasbourg AVCU, 1AST 43, no. 68.

Vobis in Cristo fratribus gratia et pax, Amen.

Ut nobiscum congratulamini, fratres charissimi, volui vobis scribere quomodo hoc XXII^o die Decembris anno millesimo 33 recepi Vismariae literas a Lubeca missas per servum fratris mei et alium quendam patriotam etiam pro evangelio ex Flandria fugatum. Per quas intelligo sex fuisse combustos hac estate in civitate quae dicitur Lille in Flandria et apud Tornacum pro verbo Dei, quorum unus extensit dexteram manum in altum postquam flamma ignis finierat. Pro qua extensione cecidit magnus timor super populum illius civitatis, et interpretantur hoc indicare Dei iram futuram super eos. Quare postea relaxarunt alios duos et non amplius capiunt alios. Sic cantant meae littere. Deus faxit ut omnia talia vertantur in gloriam Veritatis et non tantum ut crux Christi evacuetur, Amen.

Per eas literas vocatus sum ut redirem Lubecam, ut illic audiam quid parentes scribunt aut ore ad me nunciant de regressu. Nescio an servitor fratris dicet ore ut alius ille meus patriota scripserat, hoc est, si debeam cum eo revertere ad patriam. Orate pro me, quia animus meus plus probationem aut crucem futuram indicat, quam carnis libertatem. Putaveram scribere ad vos alio ordine et melius hunc librum quem mitto, ut correctum faciatis imprimere, latine vel in vestra lingua. Hoc dico si ecclesiae utilis vobis visus est. Attamen obtestor vos ut correctum ad Neverum remittatis si non velitis dare impressori. Quia libenter darem patriotis meis talem meam confessionem pro scandalis alias datis; imo quodvis deberem pro eo pati. Charissimi nolite ob meam barbariem despiciere libellum, legite prius et perlegite ante quam reieceritis. Si meam linguam scivissetis non latine sed francigena lingua ad vos scripsissem. Ubi ergo invenieritis locum correctione aut emandatione dignum poteritis dicere aliqui sic et sic sentiunt, aut hoc sic interpretantur sed male; debet enim sic intelligi! Hoc dico si librum dederitis imprimendum, quod si non dederitis, saltem cum vestris literis remittetis correctum. Ideo in fine libri apposui papirum ut illic scribatis, tali folio et in tali litera sic dixisti sed male sentis, debes sic et sic sentire, etc. Neverus et Hendricus Timmermann, eius confrater, hoc a vobis mecum expectant. Scribite per hunc nuncium quid acturi estis, et si dederitis impressori, apud quem mercatorem in festo Michaelis futuro Francfordio inveniemus illos libros, quia aliquos facerem emere ad communicandum.

Sic valete.

Per me, Sidrac Hanebert Torniacensem. Scribite ad Neverum Wismariae Dei concionatorem.